



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Sancta Communitas, In Paupertate religiosa inviolata

Wissingh, Anton

Coloniae Agrippinae, 1699

S. Cordi B. V. Mariæ

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49611](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49611)

S. C O R D I
B. V. M A R I Æ

*Devotè inclinant, suæque Corda submississimè de-
dicant FF. Minores Conventuales S. Francisci,
Provincia Colonienfis, de SS. Tribus
Regibus.*



SUB sacratissimi CORDIS TUI patrocini-
um, sub Augustissimæ Majestatis tuæ pallium ac
præsidium, cum Fratribus meis confugio *S. Dei
Genitrix, Cor tuum maternale* venerando, nostra-
que concordia Corda eidem litando, consecran-
do, ac mancipando. Jure tibi prosternimur; Tu
enim es Mater Monachorum, Patrona inclyta Re-
ligiosorum; Tu es *Mater de bono Corde*; prout Te
affectuosissimè salutare solebat devotissimus tibi
Cliens *S. Ignatius Loyola. Tuum Cor* est officina
pietatis, domicilium sanctitatis, incus devotionis,
Triclinium unitatis, Altare aureum communis
charitatis. *In te sibi complacens celestis Patris a-
mor* (ajebat *S. tuus Franciscus Sales. in dedic. Tr.
divini amoris*) *ab omni aternitate Cor tuum ad o-
mnem omnino sancti amoris perfectionem destina-
vit, ut in tempore amares Filium amore materno,
quem ille ante omnia secula unico & invariabili a-
marvit paterno.* Sed, ecce *Mater*, post unum il-
lum tuum Primogenitum, multos hic tibi sisto
Filios, vultu, genu, facie, mente, corde, ore tibi
cernuos; corda multa ad te suspirantia; voluntates
mul-

multas tibi supplices : Adduco eos ad te, ut Matris oculo aspicias, tibi in Filios adoptes, ei que benedicas, & in hanc tuam tibi litatam multitudinē inducas et communitatem et unitatem: & ut, sicut COR JESU sub tuo S. Corde in virginali utero crescere fecisti, ita nos spiritali calore cordis tui foveas, & in terra paupertatis nostrae crescere facias.

Ignosce, & agnosce ô *Augustissima Domina*; ignosce mihi, agnosce illos; ignosce confidentiæ quia filialis est; agnosce supplices, quia illorum tu Mater es; amas namque tibi devotè supplicantes; proindeq; materno oculo aspicias & respicies sub tuum præsidium tam fiducialiter confugientes. Fiduciã hanc in me peperere urgens mea necessitas, illorum orbitas, tuaque ad opitulandum materna pronitas. Mihi hinc evēnit (ut loquar cum dicto tuo *S. Francisco Sales.* lc. in præfat. ad lect.) quod parturientibus; quæ, dum fortes & habiles sunt ad pariendas proles, iis jam in mundum natis ordinariè mortales eligunt paternos: at, quando singularis debilitas, aut ingens payor, vel præsens mortis periculum earum partus efficit difficiliore & periculosiores, invocant cælorum incolas, iisque se & fetum adhuc luci absconditum devovent, simul & eligunt quemdam Dei servum, alicui ex his Sanctis specialiter devotum, ut nomine ejus subeat patris officium: ille autem Sanctus interim à Deo obtineat felicioris partus successum, & proli vitalem ortum. Ita ferè & ego, dum majori abundarem otio, antequam scilicet hõcce gravarer ministerio, facilè faciles inter mortales

tales

les inveniebam Patrimonos & Patronos, quibus literarios meos dedicarem fetus, sive medullas Theologicas, sive Alaudas claustrales, sive melodias Antonianas, sive variegatas Sanctorum laudes &c. At in presenti fetu edendo quàm angor & uror! quàm discindor! quàm discrucior! quàm aprior! maximè, dum cum feliciter infelici Rebecca, Gen. 25. 22. presentisco, quòd collidantur parvuli in utero; attamen fausta patitudine, nam *major serviet Minori*. Hic *Minor*, hic *Minorita verus*, hic *verus S. Francisci Filius* solum creat hanc partus difficultatem.

Obinde etiam nunc capere incipio, quod capere hucusque non curavi, qualiter Apostolo cordi fuerit, dum Gal. 4. 19. quasi ingemiscens dixit: *Filioli mei, quos iterum parturio* (id est, in dolore vehementi eniti seu parere desidero) *donec Christus formetur in vobis*. Inde ergo difficultas pariendi, quòd *Christus*, seu *Christiformis Franciscus* sit novè formandus in multis. In hoc tuo Christo formando, Tu *ò Mater Virgo* es una & sola Artifex sine exemplo, sine pari, sine secunda: nam, cum esses jam plena gratia ante formationem Christi in venerabilissimi uteri tui sacrario, in ejus actuali formatione Spiritum Sanctum supervenientem accepisti cooperatorem, ut esses jam superplena, ideoque largiùs in nos superefflueres: Te hinc rogo cum Cælitum omnium cœtu, partui huic *te monstra Matrem*, tuus enim est; tui consilii, tui auxilii fetus est: Te hinc ex pio voto ei in *Patrinam & Patronam* eligo, immo

(0)

immo & in fructus inde per Dei gratiam enasci-
turi heredem. Et, sicut olim tui imago à *S. Gre-*
gorio Papa missa ægotanti *S. Leandro* Episcopo
Hispalensi, ei fuit pro maximo morbi levamento;
quæ etiam usque in hodieum diem conservata,
nunc in Hispania Gaudalupæ mirabilia operatur:
ita quoq; supplicib⁹ à te votis petimus omnes tui
Minores clientes, ut *Cor LEANDRI nostri Emi-*
nentiss. Protectoris in multiplici cura pro nobis,
allevare, adjuvare, exaltare tandem & coronare
misericordia Mater digneris.

His supplicibus votis meis Tu *Provida Mater*
dignaberis piè annuere, quæ jam dignata es sug-
gerere & substituere integerrimè tibi devotû Cli-
entem d. *Eminentiss. Ordinis nostri Protectorem*,
ut ille huic partui, nomine tuo faveat lucem, fo-
veat intentionem, indulgeat ortum, impetret
gratiam, Apostolicamq; assistentiam, immo & ar-
ceat hostem, qui hianti ore, invido dente, draco-
nino felle, canina rabie jam tum paratus est, ut
devoret fetum, Apocal. 12.4. Finaliter demum
nunc & filialiter à te supplico, ut literarius hic fe-
tus, à Tuo, & ipsius Nomine hereditet quoque
appellationem, nomineturque, faventibus vo-
bis,

60. 1. 80. 100. 200. 90. 4. 9. 3. 1. 100. 200. 90. 2. 200.

PARTUS DICATUS B. V.

30. 1. 80. 9. 1. 5.

MARIAE,

1. 3. 3. 1. 80. 4. 9. 40. 1. 20. 9. 3. 50. 20. 50.

A C C A R D I N A L I C O L O -

80. 5. 4. 10.

R E D O.

PAX